




A ME CONSILIVI PETROVA
PRVILENTIA DICORS - I
CURLAS CONSULVSE TUL



PRINCIPIA

Theologiae Fanaticæ, quam
Theophrastus Paracelsus genuit,
VVigelius interpolavit,

Succinctis thesibus sub examen revocata,
&

Deo ter Opt. Max. adjuvante,

Ad solennem disputationem proposita

à

NICOLAO HUNNIO,

Th. D. & Prof. Publico,

RESPONDENTE

Pro impetrando gradu in Theologiâ summo

M. VALENTINO LEGDÆO
Sverino - Megapolitano,

Addiem 7. Maij, horis ante- & pomeridianis
In Auditorio Theologico.

VVITTEBERGÆ,

Excudebant Hæredes Johannis Richteri,
ANNO M. DC. XIX.

17. 10. 1911

110. 10. 1911
110. 10. 1911
110. 10. 1911

110. 10. 1911

110.

110. 10. 1911

110. 10. 1911

110. 10. 1911

110. 10. 1911

110. 10. 1911

110. 10. 1911

110. 10. 1911

110. 10. 1911

110. 10. 1911

110. 10. 1911
110. 10. 1911
110. 10. 1911



I.

Ta ergò furori Satanicō satis non erat per Anti-christi rabiem, Calvinismi fraudes, Photinianismi præstigias Ecclesiam premere, sanctos cribrare; excitanda insuper fuit nova quædam gens, origine varia, professione *ερμαφερδιτος*, chymicoteologica, simulatione sancta, Spiritualis, cum Christo essentialiter unita, immmediato Dei afflatu instructa, & sic *θεοδιδακτος*: hinc profunda omnium rerum scientiâ, facultate corda humana per-scrutandi, futura prædicendi, scripturas Spiritualiter interpretandi, miracula edendi, & quod unquam in orbe magnum extitit, præstandi facultate, pollens, deniq; totius mundi opibus abundans: quæ, aliaq; scriptis editis prolixè jactat.

II.

Has fanaticorum nugas, ac decipulas diabolicas ad miserios mortales fallendum egregiè comparatas, & specioso sanctitatis schemate palliantas, cordatus quisq; facile deprehendit; non ita facilè simpliciores.

III.

Ut enim, qui venena propinant alijs, eadem potionis præcæteris gratæ immiscent, ut hostilis conatus potus suavitate obductus lateat, sic non minus speciem habent illi pietatis, qualiter autem virtutem ejus abnegent, loquuntur publica ipsorum scripta, multiplicibus erroribus perstrependia.

IV.

Etenim tanta hîc non venditur sanctitas, quantam secta illa præ se fert, non sola chymica ars commendatur, sed per omnes fidei articulos adeò fœdi errores sparguntur, ac unquam hæresēs ulla factitavit: hinc operæ premium fuit visum, aliquod nunc saltem monströsæ istius Theologiæ specimen exhibere, & quibus illa principiis fundetur, demonstrare.

A 2

V. Quod

V.

Quod dum Deo benè juvante facere aggredimur, generaliter ipſi dicimus Propheticum illud: ad legem & ad testimonium: si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Esto verbum norma, & regula unica, extra quam nihil nobis divinum, nihil pium, nihil sanctum.

VI.

Cæterū: propositum hoc per vires nostras effectum non damus, non est in membris nostris veritas, omnis cogitatio mala, erramus in vijs proprijs non bonis, nī verbua Domini sit lucerna pedibus, ac lumen semitis nostris ; nī Spiritus in via planā ducat, quiq; veritas est, ac mentiri nescit, salutaria doceat. Te proinde in spiritu ac veritate invocamus Pater luminum, te filium patris λόγον, qui voluntatem divinam revelasti, te Sancte Spiritus, qui in omnem veritatem ducis homines, perfunde cora nostra tua cœlesti luce, da intellectum, ut verbum tuum piè ac sanctè tractemus, sensum ei nullum inferamus, nil addamus, nihil demamus, veritatem, quam pio studio, & corde sincero quærimus, inveniamus, falsitatis nebulas, quibus fanatica Theologia oculos simplicium perstringit, feliciter dispellamus, errores deragamus, ad tui sanctissimi nominis gloriam, Ecclesiæ incrementum ac emolumentum, æternam deniq; nostram & aliorum salutem, Amen..

CAPUT I.

De origine ac nomine hujus sectæ.

I.

Morem Ecclesiæ omni tempore observatum sequentes, ab auctore si non primo, certè primario cuius nomen hodie extat, Theophrasto Paracelso, Medico superioris seculi satis celebri, Paracelsicam inscribimus.

II.

Cui viro, laudem, si quam in arte sua est promeritus, nec invidemus, neque læsam aut erexitam ullatenus cupimus, de quo sancte

sanc*t*e protestamur. In foro nunc versamur Theologicō, quod eum hominem vix ullius fidei, alias vitæ turpis, actalem fanaticum pronunciat, quo vix alter detiore extitisse legitur; ut magiam diabolicam, de qua si non convictus, certè gravissimè suspectus fuit, taceamus: omnia namque; ista, ejus opera, quæ publicè extant, & ab homine Christiano sine stupore, & admiratio*n*e, imò gravi cordolio non leguntur, plus tis testantur.

III.

Primarius est, comparatè loquendo, quotquot enim autores istud virus spargentes leguntur, quales sunt Albertus Magnus, H. Cornel. Agrippa, Ægidius de Roma, Gerhardus Zutphanensis, Johan Hagen de indagine, Johan Reuchlinus, Petrus Palatinus Minorita, Franciscus Georgius Minorita, Marsilius Ficinus, Gwilhelmus Postellus, Henricus Horphius, Marcus Anthonius Mocenicus, Stephanus Conventanus, ad quos originem Theologiae Cabalisticæ refert anonymous quidam, præfatione scripti sui de Magia, hi inquam omnes prima horum Zizaniorum semina in monasterijs ac Scholis Pontificijs quæ Magiæ Satanicae, & artium diabolicarum erant plenæ, hinc inde disseminarunt, & relictis scriptis posteritatem quoque; inficere fuerunt anni*s*; operâ verò illorum usus Paracelsus, pro ingenij sui felicitate, ac novitatis studio ex ijs conquisivit omnia, suisque; libris infarsit; ut sic, quæ venena cum antiquorum scriptis expiratura sperari possent, ab interitu vindicata in manus eorum cum primis devenirent, qui Medica cognoscendi studio illis uterentur.

IV.

Non ausus fuit Theophrastus, dum esset in vivis, bellum suum fœtum Theologicum, quem parturiebat, in Ecclesiæ sinum promere, quod malæ conscientiæ signum; quamvis non rarò dicere solitus feratur, se aliquando Lutherum & Melanthonem in Theologiâ haud aliter reformatum, atque fecerit in medicina Galeno & Hippocrati.

V.

Sub idem verò tempus non difforme monstrum pepererunt Caspar Svenckfeldius, Carolo Stadius cum socijs, Anabaptistæ, alijque; cœlestes Prophetæ, quorum singuli ex Theologia, quæ hinc inde in Paracelsum confluerebat, aliquid hauserunt.

A 3

6. Verum

VI.

Verum & illas incendiorum flammulas divina bonitas B. Lutheri, &c, subsecuto tempore, aliorum bonorum ministerio sopijt, ut exiguæ superessent reliquiæ usq; dum easdem resuscitaret quidam obscuri alias nominis homo, *M. Valentinus Weigelius*, cuius scripta ante annos triginta plus minus, nata ab hominibus male feriatis, operâ typographorum sive famelicorum, sive avarorum, absq; vero nomine loci ac typographi, non absq; Reip. Ecclesiasticæ periculo, ac præsenti damno hisce annis in viciniâ nostra excuduntur, quamvis suspicione minimè obscurâ constet, sub VVeigeliano (ut & Paracelsico) nomine alios errorum patronos subinde novos libellos fabricare.

VII.

Non moramur autem, quod VVeigelius suæ Theologiæ alios quoque fabros & Patriarchas Theophrasto conjungit, homines partim claros, partim obscuros; *Mercurium Trismegistum*, post: part. 2. p. 39. 263. *gûlden Griff* / p. 52. *Taulerum*, part. 2. post. pag. 87. 104. *gûlden Griff* / p. 43. *Dionysium* post. part. 2. p. 104. *Theologum de morte*, post. part. 2. p. 303. *Lautensack* / part. 3. post. pag. 96. *Thomam Müntzerum*, *Dialogismo de Christianis*. p. 8. 52. In omnibus his namq; *Theophrastus* eminet, qui quæ alij obscure, hic clarius, quæ illi pauca sparsim, hic multa collecta habet, majore etiam felicitate in chaos unum redegit cuncta, ac reliquorum ullus: vel hoc nomine & VVeigelianam Theologiam ad Paracelsum, ut fanaticorum hoc tempore choragum, referimus.

VIII.

Nec satis; annis proximè elapsis non parum laboris facessit Ecclesiis vicinis quidam *Ezechiel Meth*, in Paracelsi Scholâ e-nutritus, Theologiam ipsius quadantenus in lucem proferens, quamvis ille graviter admonitus errores damnarit, licet ad vomitum postea reversus. Protinus huic se conjunxit *fraternitas roseæ crucis*, aureos montes sibi, & qui sua nomina illi essent professuri, pollicita, hocq; fine libellos, quorum vix numerus extat, protrudens: quam quidem utopicam, scripta verò ociosorum fratribus, ac petulantium ingeniorum partus non absq; certâ suspicione

cione interpretantur peritiores; quod si ita est, dolemus sincero-
corde, hoc etiam artificium invenisse diabolum; ut per homines
nugivendos simplicioribus casis parare, fidei& scopum inter-
vertere norit.

IX.

Quicunq; autem hi, ut & alij *α&ερβαλγητις*, *Theophrastum*
cuncti agnoscunt patrem, cumq; de ceteris vix possit esse dubi-
um, *Weigelius*, qui alias Medicinam ex professo secutus non est, le-
ctores suos ad *Paracelsum* remittit, tanquam ad virum divinitus
illustratum: post. part. 1. p. 195. part. 2. pag. 257. 266. part. 3. pag. 96.
gulden Griff pag. 20. 48. 49. 52. libell. disputator: pag. 26. 28.
29. 42. VVeigiana etiam posteritas hunc suum patrem adeo
cum Theophrasto combinat, ut utriusq; scripta aliquot in publi-
cum edat, & non ita pridem in unum Volumen cum inscriptio-
ne *Philosophia mystica*, coniungerit, atq; hoc ipsum loquatur con-
formitas dogmatum, ut illorum collatio monstrat.

CAPUT II.

*De causa efficiente primaria Institutionis
Theologica, quam Paracelsi Schola
rejicit.*

I.

Kriterem nobis monstratum est Pseudoprophetis cognoscendis satis idoneum immo infallibile, *Mattb. 7.v.15. a fructibus cognoscetis eos.* Quod attendentes, fructu illos non in extera quadam sanctitatis specie querimus, sed in dogmatibus fidei & pietatis, horumq; principijs, principaliter consistere, credimus: proinde ματαιολογias Paracelsicam taliter arguimus.

II.

Theologia, cuius neq; principia, neq; dogmata de fide ac pietate sana sunt, ac S. literarum κάνων congrua, ea divina non est.

3. Quæ

III.

Quæ quidem propositio, ut in sanioris Theologiae meditatio
lio est fundata, ac primo illius principio, quod est lex & testimo
nium, nititur; sic principii vicem meritò tenens ulteriorem pro
bationem non postular.

IV.

Est autem Theologia Paracelsi talis, quod nervū
nostræ demonstrationis, totiusq; disquisitionis κριτήνος conti
net: confirmandum ergo: quod sic instituemus facere, ut ante o
mnia Theologiae cùm istius, tūm veræ principia excutiamus, ac
in vicem conferamus.

V.

PRINCIPIA aut vera sunt, aut falsa. *Vera* dicimus, quæ
Deus in veritate salvificā inveniendā, tanquam religiosè obser
vanda nobis commendavit. *Falsa*, quæ επεργότεροι sibimet consti
tuunt, quamvis ea sequenda Deus vel nusquam præscriperit, vel
etiam ab illis cavere jussit.

VI.

Hinc demonstratio bimembri: quæcunque Theologia
1. vera illa ac divinitus commendata fidei ac Religionis prin
cipia improbat: 2. E contrā alienis, ab hominibus confictis,
Deo non probatis, aliquando etiam prohibitis nititur, ea divina
ac sana non est. Subsumimus Theologiam paracelsicam sub u
troque membro, non absq;ue probationum robore.

VII.

1. Paracelsi Theologia principia divinitus
monstrata reprobatur. Hujus εξηγησίς & confirmatio at
tendere jubet ad docentem pariter, ac discentem; tunc enim in do
ctrinā proficitur, cum uterque recte habet.

VIII.

Dicuit quondam Deus antiquos patres πολυμερῶς, καὶ πο
λυτρόπως, per propiciatorium, Exod. 15. vers. 2. Ephod lineum,
sive Vrim & Thummim pontificis, 1. Sam. 23. v. 9. sq. cap. 30. v. 7. Exo.
28. v. 30. per assumtam humanam speciem, Genes. 18. vers. 2. &c. per
appa-

apparitiones, *Esa.* 6. v. 1. *Ezech.* 1. v. 26. *Exod.* 24. vers. 10. capit. 3. vers. 2.
visiones, *Genes.* 28. vers. 12. 13. *Ier.* 1. v. 11. 13. *Zach.* 1. vers. 8. 18. 21. collo-
quium per somnia, *Genes.* 20. vers. 3. *Numeror.* 1 2. vers. 6. cap. 22. v. 20.
sermonem ab ore ad os, *Ex.* 33. vers. 11. *propositum* nūsār̄ ob ni

IX.

In Novo Testamento nobis locutus est in filio, *Hebreor.* 1.
vers. 1. qui patris $\lambda\circ\gamma\Theta$ antē nec visa nec audita enarravit, *Iohan.*
1, vers. 18. Et quia non amplius immediate nobis loquitur, mini-
stros constituit, & quidem Apostolos, Prophetas, Evangelistas,
pastores & doctores, qui Ecclesiam ipsi his in terris colligant,
spirituale corpus ædificant, *Ephes.* 4. v. 11. adhibitis non è proprio
ingenio confitæ sapientiæ dogmatibus, sed ad verbi à Prophetis
& Apostolis præscripti, quod vel ideo fundamentum celebratur
Ecclesia, *Eph.* 2. v. 20. normam conformatis, ut hinc doceatur Ec-
clesia, sive in cœtu, & conventu publico, ordinariè, sive priva-
tum, *anaīewc Ηγή εὐκαίρωc*, 2. *Timoth.* 4. vers. 2. sive ore sive per
Epistolam, 2. *Thess.* 2. v. 15. hoc est sermone, vivaque voce jam
scriptis.

X.

Sunt igitur considerandi docentes primarii: 1. **D E U S.** 2.
C H R I S T V S, ratione specialis sui officii,

X I.

I. **D E U S** cùm immediatis apparitionibus & inspirati-
onibus jam non utatur, ut sequentia docebunt, voluntatem
tuam in verbo scripto Prophetico & Apostolico revelavit,
quam exinde addisci mandat, *Iohan.* 5. vers. 39. *Luc.* 16. vers. 29. 31.
Esa. 8. vers. 20. tanquam inibi sufficienter ac perspicue compre-
hensam, 2. *Timoth.* 3. vers. 15. seqq. infallibiliter verum est, quicunque
cupit esse $\theta\sigma\delta\delta\alpha\kappa\tau\Theta$, is huic sermoni attendit 2. *Pet.* 1. vers. 19.
eum vero contemtim habens lucem divinæ veritatis non videt,
Esa. 8. vers. 20. unde hanc formamus propositionem: *Qui-*
cung, in fidei negocio se ad scripturam non adstringit totum, *is D E-*
V M docentem non audit, ac primum sinceræ Theologiæ fundamen-
tum evertit.

B

XII. Sub-

XII.

Subsumimus: *Theologia Paracelsi in fidei negocio ad scripturam fidem non adstringit*: Quod probatur: quia non adstringitur in dogmatum fundatione, neque in verbi interpretatione. Prius hinc constat:

XIII.

v. *Quia dogmata quamplurima, quae neq; in Scriptura sunt, neq; ex ea ducuntur, sine ulla scripturarum mentione credenda mortalibus proponit.* Exempla si postulas, è multis dabo pauca, ne catalogus exerescat nimium: *Ex sola Philosophia mystica hæc habet: Homo creatus à D E O, & à N I H I L O, Philos. myst. pag. 138. Quævis creatura & homo ante lapsum habebat bonum & malum, ibid. pag. 139. Angeli eò creati sunt, ut essent D E O similes. pag. 208. 220. pag. 141. Regenerari est à seipso deficit; semet odiisse & abnegare, sibi mori, sui ipsius cum omnibus viribus oblivisci, &c. pag. 145. 146. per regenerationem fit homo Deus, & Deus homo. p. 146. 172. 188. Deus est essentia omnium rerum, sicut alphabetum essentia omnium syllabarum & vocum, pag. 149. Deus ante creationem est absq; opere, affectu, & persona, **Wirkloß/Affectloß/vnnid Personloß**/p. 156. 157. Liber est internus, in quo omnia sunt scripta, divina, humana, &c. pag. 157. Angelus potest esse ubiq; pag. 168. Diaboli sunt coacti in quatuor Elementa, pag. 170. 209. Deus & anima sunt ejusdem naturæ. p. 171. *ejectio è Paradiso non fit ratione loci, sed aversionis voluntarie, pag. 172.* Renascentia tantum parvulorum est, pag. 173. post consummationem universi non aderunt corpora nec beatorum, nec damnatorum. pag. 175. Christi corpus est supernaturale, expers omnium Elementi, & Elementati, clarificatum, Spirituale, Deificatum. p. 175. Mortalis Adamitica caro & sanguis non hereditabit regnum cælorum, oportet carnem esse ex C H R I S T O, aportet incorruptibilem cœlestem esse carnem, incarnatam ex Spiritu Sancto. pag. 175. Nec Deus, nec Angeli, nec beati quicquam operantur, quia nulla est ipsorum indigentia, p. 177. Nil est exterum confert salutem, quoconq; veniat nomine. p. 184. In homine post lapsum est bonum, scilicet Spirituale, pag. 203. Litera scripture, seu verbum exterius nullius est operationis. pag. 205. Externus Adamiticus homo neque venit in infernum, neq; in cœlum. ab Elementis consumitur, scilicet internus salvatur aut damnatur. pag. 206. Dei verbum, Christus & regnum.*

-duc. IX

D

regnum ejus nulla operatione ab extra insuntuntur, si non essent in nobis, frustrane forent omnes conciones. pag. 206. Christus secundum carnem cessabit. pag. 221. Adam manebat in filio ante lapsum. pag. 222. Christus duplex est, externus, qui est Mariæ filius, & internus, qui inhabitat cordi piorum. pag. 223. Ex scripturis hæc non sunt deducta, neque ostenditur apex, qui testimonium his dogmatibus præbeat.

XIV.

2. Quia Biblicam lectionem non suadet, auditum vero cum lectione etiam improbat. Non sine fuso ad verbum Dei remittitur in schola Paracelsi homo Christianus, quoties verbum Dei commendatur: VVeig. pt. I. post. p. 49. Id enim cum Christianis non sicut aliud, quām illud scriptum Propheticum & Apostolicum. Paracelsistæ intelligunt sibi privato quopiam ac immediato afflato inspiratum.

XV.

Scripturæ lectionem suaderi non facile audies. Duplici medio in usum adhibetur scriptura. 1. per oculos, estque lectio singulariter nobis commendata, I. Timot. 4, v. 13. Deuter. 17, vers. 19. cap. 31. v. 11. Esa. 34. v. 16. 2. Per aures estque auditus; & ipse frequenter præceptus, Luc. 16. vers. 29. &c. utrinque piâ attentione est opus, Ioban. 5. vers. 39.

XVI.

Cœterū: ipsius auditum videbis improbari sapienti: Et est in promtu ratio: siquidem enim inutilis est, ac supervacaneus, virtute carens, & litera mortua, corda percellere ac movere minimè valens, VVeigel. postill. pt. 2. pag. 225. utique adhibetur frustra, haud aliter, ac si Ovidii poëmata eo fine legenda sumeres, ut hinc ad æternam salutem erudireris.

XVII.

Hinc argumentamur: Omne principium Theologicum, officiens sive activum, aliquid in subjectum operatur. Scriptura nihil in hominem informandum operatur, ergo scriptura non est activum Theologiæ principium.

XVIII.

Minor probatur. Nam duo effectus illi possunt assignari, quorum unus sit docere, quem Paracelsi posteritas nescit, intra cor humanum omnem prorsus

scientiam delitescere affirmans, ut nihil quicquam intrō recipi-
endo sive ex scriptis sive auditis addiscatur, sed cuncta ab extra-
promendo jam cognita monstrantur: id quod prolixè diducit
VVeigel.libell.disput. è quo, ut & scriptis aliis, hæc cape *θεοπαλια*. Inte-
riora non producuntur per exterius: exteriora non operantur interna. p.
12. Agnitus petitur ab intra è corde illuminato, non ex libro. p. 18. omnis no-
titia divinorum provenit ab intra, non ex libris. **gūlden Griff** / p. 8. 9.
Apostoli nihil aliud docent, ac scribunt, quam id ipsum, quod est in nobis, po-
still. part. 2. p. 303. Ex Biblijs non petitur intellectus, pag. 14. *yv̄w̄θi, στειντ.*
part. 1. pag. 73. & summa: fides potest esse sine externo auditu, postill. part.
2. p. 234. 235. item: potest homo notitiam & intellectum habere etiam sine
scriptura. *Libell. disput.* pag. 19. Scriptura est speculum externum, indicat
tibi, qualis sis, pulcher an deformis, æger, an sanus, talem te vero non efficit,
morbos tuos ac dolores neq; valet mitigare, neq; sanare, **gūlden Griff** /
p. 59. Similia habet *Theophr.labyr.Medic.cap.8.tom.2.pag. 174. Edit: Basil.* in quarto Anni 1589.

XIX.

Concludo, nullus ergo scripturæ sacræ sive lectæ sive præ-
dicatæ finis, & usus.

XX.

Alter: excitare id, quod in corde latet, idque ad memoriam
revocare, quem quidem effectum scripturæ videtur assignare
Weigelius.

XXI.

Verum, quod ne hoc quidem dicatur serio, & per ejusdem
scholæ hypothesin scriptura ne quidem taliter mentem excitet,
inde manifestum est; quia expectant Paracelsistæ divinam
revelationem, momentaneam illuminationem, internam con-
cionem, divinum afflatum, angelicum colloquium, quibus me-
diis reminiscantur eorum, quæ intra corda latent naturaliter,
juxta illud: *interno animæ oculo audit homo, videt, contrectat veritatem:*
absq; externa persuasione, philos.mystic.pag.206. Quid ergo operatur
scriptura? cum primis, quia illa Weiglio est inanis & mortua-
litera, manens in papyro, nudum testimonium ejus, quod jam
homo non modò in corde habet, sed etiam cuius Spiritu Sancto
intus suggestente probè meminit, postill. part. 2. p. 240. part. 3. p. 19.
dialog.

dialog. de Christ. p. 29. 32. cum primis vero notandum, quod inter requisita discipuli in Paracelsi Schola & hoc censetur, hominem scripturam deserere, **Ein recht gelassen Mensch muß die Schrifft gelassen** / literam nescire, sed ingredi in Domini virtutem oportere &c. *Weig. lib. von der gelassenheit p. 17.* quod quomodo cum reminiscentia illa consistat, ipsi videntur...

XXII.

Rursus vero cognoscitur frustaneam & de nihilo esse scripturæ tractationem, perinde ac si operosè suaderem legi librum, è quo quidem plane nihil disceres, inculcaret tamen, sed non nisi naturaliter nota, & ubivis obvia: nivis albedinem, noctium ac dierum vicissitudinem, ignis calorem, solis lucem, ac similia plura jam ante satis nota.

XXIII.

Nec est, quod excipient, scripturam in mentem & memoriam nobis revocare ea, quæ in corde, ceu sopita & sepulta prius latuerant, ideoq; suo usu necessario non destitui. Namq;, licet fateantur generaliter, librorum lectione scientias excitari per *αιδάμωντι*, & reminiscentiam ; de sacris tamen literis id ipsum affirmari vix invenietur ; & si inveniretur maximè, hoc tamen altero suo themate, (quo per immediatum Dei afflatum, in Sabbatico silentio factum, id fieri contendunt; de quo post) rursus everteretur.

XXIV.

3. *Quia Scripturam Informationi Theologicæ prorsus ineptam judicat.* Quod sic ostenditur : Quicquid 1. est anceps & ambiguum : 2. omnibus, quantumvis grayem errorem errantibus, patrocinium præstat, 3. agonizantes nihil juvat. 4. in erigenda fide morti vicinorum ridiculè usurpatur. 5. vanitati subiectum. 6. imperfectum : 7. certum de fide judicium non format, id informationi Theologicæ est ineptum, & consequenter neq; verum Theologicæ principium.

XXV.

Est vero S. scriptura per Paracelsi hypotheses 1. *anceps & ambigua.* VVeig. postill. part. 2. p. 185. Scriptura est ambidexter; die Schrifft ist in beyde Hände, licet eā in utramq; partem

uti: Ut ut quispiam erret, potest tam ea scripturam adversari
opponere. **gúlden Griff.** p. 55. scripturæ litera est **ein Bey-**
denhänder / quisq; eâ pro se potest uti, quomodo cunq; libue-
xit, unde tot sectæ ac schismata extiterunt, quod etiam plurib⁹ re-
petit p. 58. 2. *Omnibus quantumvis graviter errantibus patroci-*
natur. quod modō assignata loca probant. 3. *agonizantes nil*
juvat Sic Paracelsistas statuere, in aprico est: namq; VVeigelius
eos, qui sententias Biblicas collectas, disputationibus, lectioni-
bus, concionibus, &c. affervant, falsè ridet: lib. **von der ges-**
lassenheit p. 7. 4. *In erigendā fide mortivicinorum ridicule u-*
surpatur. Hic nil juvat sacerdos, vel scriptura in angustijs meis
(agonizantis) nil juvat confessio, vel **Sacramenta.** Dialogis.
de Christ. p. 88. & pag. 117. Introducitur moribundus epulo,
cui scripturarum dictis succurrerit sacerdos: sed (ait) sacerdos
consolabatur eum elegantibus sententijs, ex scriptura de promissis
ut mortis Christi saepius recordaretur. 5. *Vanitati est subje-*
cta. Quisq; scripturâ uti potest pro libitu, si quidem creatura est va-
nitati subiecta, **gúlden Griff.** p. 58. 6. *Imperfecta;* Gravem
errorem reputat VVeigel. dialog. pag. 8. quod Concionatores
& Academici jubent auditores esse contentos verbo è suggestu
prædicato, & commentarijs biblicis, sic, ut in cœlos subvolare,
ac more Prophetarum cœlestium, & Anabaptistarum illumina-
tiones expectare, nihil sit necessarium. Putat ergo, nec scriptu-
ram, nec conciones sufficere homini Christiano, nî subvolet in
cœlum, & revelationes exinde petat. 7. *Nec certum judicium*
de fide format; liquet hoc ex eo, quod membrum secundum ex-
hibuit; si enim scriptura stat pro utraq; litigantium parte, & pa-
trocinium utriq; præstat, certè judicium tale non fert, per quod
pars una se succumbere; altera, se vincere, intelligat.

XXVI.

Ergo per hypothesis Paracelsistarum scriptura Theologicæ
informationi prorsus est inepta.

XXVII.

4. *Quia Scripturam veritati Theologicae opponit.* Est Para-
celso Theologica veritas, quicquid vel naturæ lumen, vel cœle-
stis revelatio dictaverit. Huic, quantum opponatur scriptura, ma-
nifestum

nifestum fiet illi, qui istiusmodi dictata ad sacras literas examinari. Artem magicam commendans *Theophrastus lib. 5. de orig. morb. invisib. pag. 316.* ægrè fert scripturam adeò duris nominibus incantatores Ægyptios designare, subjungens: es ligt nicht an den Clamen: denn die Kunſt vermag die Clamen anderst darzuthun: paulò pòst: artem illam diabolicam à Deo, & naturæ lumine exortam affirmat.

XXVIII.

Hinc ita concludimus. Quicunq; scripturam sacram facit literam mortuam, ad hominem convertendum invalidam, quæ nec doceat quicquam, neq; prius nota reminisci faciat, eamq; statuit informationi Theologicæ prorsus ineptam, tandem veritati Theologicæ opponit, is lectionem Biblicalam non suadet, nec suadere potest, & consequenter ad scripturam se totum non adstringit. Talis verò est Paracelsi Theologia, ut probatum, Ea ergò ad scripturam ceu principium adstricta non est. Sic probatum est, Theologiam Paracelsi in dogmatibus radicandis ac firmandis ad sacras literas non adstringi:

XXIX.

Posterior. Idem de *interpretatione rectè* asserimus, quam ipsa 1. ex scriptura petitam prorsus rejicit, 2. aliunde ipsi illatam & afficiam unicè probat, & 3. veræ interpretationis modum improbar.

XXX.

Certum est, quia sacræ literæ fundamentum Theologicum constituunt, & verò de genuino illarum sensu principalis quæstio agitatur, eum totā scripturam tollere, qui in Interpretatione illā vitiare præsumit.

XXXI.

Statuimus verò eam demum esse veram interpretationem, quæ sensum Spiritus Sancti assequitur, nec aliud dicit, quām Spiritus Sanctus dictum & intellectum voluit. Hoc ergò ut assequamur, hi nobis monstrati sunt Canones. 1. Nulla scripturæ Prophætia sit propriæ interpretationis, 2. Pet. 1. v. 20. 2. Omnis interpretatio sit fidei ἀνάλογη, Rom. 12. v. 6. 3. Verbum oportet ὁρθοτουμῖν, 2. Tim. 2. v. 15. Unde tria fiunt generalia veræ scripturarum interpretationis principia: Unum: nullus sensus inferatur textui Biblico. Secundum: omnis sensus ex ipso textu totiusq; scripturæ harmonia desumatur. Tertium: interpretatio sit ordinata, ac disposita.

32. Unde

XXXII.

Unde argumentamur: Quicunq; 1. interpretationem è scripturis haustam rejicit, 2. aliunde textui illatam unicè commendat, 3. & veræ interpretationis modum improbat, is in interpretando scripturis alligatus non est. Subsumimus:

XXXIII.

Theologia Theophrasti 1. Interpretationem è scripturis haustam rejicit: quod hinc manifestum est, quia sensum illius *literalem*, qui per se & immediatè ex scriptura fluit, solus etiam infallibilis est, gravissimè perstringit.

XXXIV.

Dubitare nemo piorum potest, Spiritum Sanctum, tanquam fidissimum Ecclesiæ doctorem abs se scripta sic, ut litera sonat, & textus natura fert intellecta voluisse, sive: certo cuidam *soñum* significando singulos textus destinasse: nec ita scripsisse, ut quisq; pro arbitrio mysticum sensum illi superaddat.

XXXV.

Literam verò non dicimus primum & immediatum vocum & phrasium grammaticè acceptarum sensum, sed eum, quem verba, prout in textu usurpantur, per se, ac primò possunt reddere: sic enim sensus literalis in illo *Esa. II. v. 6. Habitabit lupus cum agno*, non istorum brutorum, sed gentium ac Iudeorum conjunctionem exponit.

XXXVI.

Aliud verò est, post literalem sensum, & per hunc alios, scripturâ duce, ex eodem textu elicere; aliud, repudiato in universum literali, spirituales solos, eosq; pro libitu conflictos scripturis inferre, quod reprehensionem vel maximè meretur, à Paracelsi tamen *ματαιολογίᾳ* frequenter committitur, quando illa *sensum literalem*.

XXXVII.

1. *Ab homine Christiano alienum judicat*; provenientem ex homine veteri, ex naturali mundi spiritu, ex Veteri Testamento, ex Antichristo, VVeig. dialog. p. 81. libell. disput. p. 29. 30. postill. part. 2. p. 243. *gulden Griff.* p. 63. 2. *Omnis efficientia spoliata*:

*spoliat: litera non est vehiculum verbi, p̄r literām Deus non co-
gnoscitur, non est semen Ecclesiæ, veritas ex ea non elicetur, mi-
nisterium literæ est sine fructu, manet in papyro, & templis lapi-
deis, operatur saltem fidem mundanam, Weltglaube/non pe-
titur fides & judicium de rebus sacris ex literā scripturæ, filij Dei
non à litera aguntur, sed à Deo. Si deniq; sensus scripturæ co-
gnoscendus, oportet scripturam deserere, literam ejus nescire, &
ingredi in virtutem Domini. VVeigel. part. 1. postill. pag. 163.
part. 2. pag. 26. 37. 79. part. 3. p. 84. **gūlden Griff** pag. 3955.
58. 59. **von der gelassenheit** pag. 7. 17. 3. *homini Christiano
nocere affirmat*; literales conciones plus causantur damni, & im-
pedimenti, quām commodi, quas Christianos fugere jubet. Ex ne-
gatione verbi interni (hoc est revelationis) existunt omnes sectæ,
schismata, hæreses per mortuam literam, VVeig. postil. part. 3.
p. 85. dialog. p. 55. 4. *à scriptura in sensus investigatione disce-
dere mandat*: si quis aliqua non intelligit, & judicium cognosce-
re desiderat, stet ipse in suimet desertione, hoc est, exeat à seipso,
& ratione sua quiescat, à Dèo artem strenuè petat, & audiat, quid
ipsi Deus sit dicturus. VVeigel. lib. **von der gelassenheit** p. 17.
5. ideoq; passim perstringit scripturæ literam, ceu corticem, ad in-
teriora non penetrantem, & literæ insistentes contemtim appellat
**Buchstebler / Buchstabische Lehrer / Diener des
Buchstabens, &c.** VVeigel. postil. part. 2. pag. 34. 199. 225.
226. 233. **gūlden Griff**. pag. 51. 56.*

XXXVIII.

2. *Paracelsi Theologia sensum Scripturis inferre jubet*; Quod
facit, cùm sensum Scripturæ seu Biblijs denegando, inq; ipsum
hominem reponendo l. *disp. p. 17.* tūm sensum spiritualem com-
mendando. Perpetua hæc est VVeigelij ac sociorum querela, ,
concionatores, & qui Theologica in Academiis docent in expli-
candis oraculis occupari circa corticem, ad Spiritum verò & in-
teriora textuum non penetrare, commēdantes econtrà ministeri-
um non literæ sed spiritus *postill. part 2. p. 76. 77.* quòd efficax il-
lud sit *p. 26.* quod & Novo Testamento conveniens *p. 243. 352. l.
disp. p. 23.*

XXXIX.

Si ergò quæras: quid est spiritus ille? quæ illa interiora?
quid spiritualis sensus? non facile quidem invenies descriptio-
nem; facilius tamen exponent eam interpretationum exempla,
hinc inde se offerentia ut *Psal. 110. vers. 1.* verba hæc: *sede à dex-
tris meis, spiritualiter sic explicat: descendere, nascere homo, redi-
me humanum genus in assumta humana natura, moribus ac habitu
similis homini Adamitico usq; dum omnes inimicos tuos potentiae
tuæ subiçiam, etiam mortem ipsam hostium ultimam* VVeig. postil.
part. 1. p. 8. *Rom. 10. vers. 17.* Fides ex auditu, scilicet interno po-
stil. part. 3. pag. 63. *Iohan. 19. vers. 26.* Maria dicitur *mater Jo-
hannis secundum novam ac cœlestem nativitatem* ibid. pag. 81.
1. Corinth. 13. vers. 10. cum venerit quod perfectum est, evacuabitur,
quod ex parte est, hoc est, cum ad me venerit regnum D E I, & in ve-
niā, in me sentiam, & gustem D E U M, qui perfectum ac ve-
rum bonum est, contemno omne quod ex parte est, hoc est, abnegome
ipsum, vilipendo me, omnesq; creature, comparando illas ad incom-
prehensibilem thesaurum, quem video &c. philos. myst. pag. 149.
Psal. 90. vers. 12. doceas me attendere, quod mori me oporteat ut e-
vadam sapiens, hoc est, obsecro, diligas me, & ipsius queras me, & à
sapientia mea totus pendeas. phil. myst. pag. 154. *Matth. 15.
vers. 11.* quod intrat in os non coinquinat hominem: hoc est, quod
extra cor meum est (loquitur autem de Christo non per impu-
tationem, sed per essentiale in habitationem justificantem)
nec me mundat, nec inquinat, negat salvat, neque damnat phil. myst.
pag. 226. Hujus generis quam plurima in scriptis VVeigelianis
occurunt, & testantur ipsius homiliae Evangelicæ, sensum spi-
rituale, quem in tantum extollit, esse quamcunq; allegori-
am.

XL.

Etsi verò sciamus, scripturam Novi Testamenti è textibus
propheticis nonnunquam allegorias formare *Galat. 4. vers. 22.*
Roman. 10. vers. 6. 7. idque in primis ob collationem typi & anti-
typi *Coloss. 2. vers. 17.* *Heb. 8. vers. 1.* ideo nec impugnemus alle-
gorias

gorias pro ulteriore terum declaratione adhibitas, cum primis
quia is docendi modus ab Apostolis fuit adhibitus, et si parcè, nec
ut ordinaria interpretandi ratio, faciens verò ad qualemcumque
probatorum declarationem, non verò dogmatum fundatio-
nem.

XLI.

Attamen VVeigelio, hanc solam .am, genuinam ac or-
dinariam viam Interpretationis Theologicæ facienti, sic non pa-
ratur patrocinium, siquidem 1. hunc sensum in quavis Scriptu-
ra querere non jubemur. 2. nec potest ostendi, quomodo ille
ex textu, nobis etiam de hoc non cogitantibus, fluat. 3. estq;
rationis nostræ speculatio & textuum accommodatio, violenta
sæpè, & ad quodcumque institutum arbitriarè contorta. 4. i-
deò fit multiplex, pro ut huic vel illi eam formare placuerit. 5.
& conscientia hominis nunquam potest secum certò ac infallibi-
liter statuere, sensus istos à DEO esse profectos. 6. Ipsa verò
semet convincit, quòd opinio sua præconcepta illius existat au-
tor: hinc utique est necessarium ut fateamur, spirituales sensus
Scripturis quasi affingi, & qui eos, literali rejecto, sectari suadet,
hunc jubere, sensum aliundè petitum scripturis inferre.

XLII.

3. Verum interpretationis modum improbat: Regula est
Apostolica: Operarius DEI recte fecet, ὁ γραπτὸν verbum verita-
tis; qui canon & ordinatam scripturarum dispositionem, & di-
versorum distinctionem requirit, ut non confundatur lex cum
Evangelio, non justificatio cum consequente sanctitatis studio,
non minæ cum promissis &c.

XLIII.

Theologia Paracelsi neq; hoc Apostoli monitum approbat.
Ita Weigel. dialog. de Christ. p. 38. cum quondam scholas frequenta-
rem, talia didici, & jam quotidie è suggestu audio, ubi aliud est fides,
aliud Christus, aliud ejus vita, aliud penitentia, aliud confessio, aliud
justificatio, aliud nova obedientia, aut satisfactio; aliud baptismus,

C 2

aliud

aliud regeneratio aut nova creatura, aliud cælum, aliud caritas, aliud Spiritus, aliud observatio præceptorum Domini, aliud divina lex, aliud Evangelium &c. Sed, in veritate dico, quamdiu ab hac artificata vel humana Theologia disceditur, & omnia non conferuntur in unum, nec Iesus Christus comprehenditur cruce &c. Christus duntaxat agnoscitur dimidiis, prædicatur dimidiis, abnegatur operatio, virtus, & vita Christi &c. Item: Docti mundani in Academijs nolunt hæcce (fidem, orationem, confessionem, pœnitentiam, justificationem) invicem confundi, sed artificio dialectices distingui, ut tanto melius doceantur homines in fidei negotio, prætendentes verbum ὁρισμὸν rectè secare verbum, unde Christum non sequuntur, sed rationem humanam &c. Unum ab altero discernunt, quod aliud sit fides, aliud oratio, aliud confessio, aliud convercio, aliud pœnitentia &c. secundum literam & externum hominem. Sit ita, quid vero hoc ad nos Christianos, qui per omnia secundum spiritum ac fidem vivunt &c. postill. part. 2. p. 217.

XLIV.

Argumentamur: quicunque non vult, verbum ὁρισμὸν, rectè secari, nec ea, quæ maximè differunt, accurate distingui, is verum interpretationis Theologicæ medium ac methodum tollit. Hoe facit VVeigelius, Theophrasti hyperaspistes, ut jam modò ostensum. Ergò idem etiam veram interpretationis Theologicæ methodum tollit.

XLV.

Atque sic probatis tribus minoris in syllogismo membris, concluditur, Theologiam Paracelsi in scripturarum interpretatione non adstringi ad ipsam scripturam. Ex quo ulterius consequitur; quia probatum est, Paracelsistas ad Scripturam 1. neque in fundandis dogmatibus, neque 2. in interpretatione alligari, eosdem etiam sacras literas (consequenter DEum per has ordinario modo unicè docentem) non facere activum cognitionis Theologicæ principium, quod demonstrandum erat.

46. II. Chri-

XL VI.

II. CHRISTUS. Altera causa docens primaria est Christus, ratione officii sui specialiter consideratus, utpote Prophetam multipliciter olim commendatus: *Per Prophetas, Deu. 18.v. 15.* Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus DEUS tuus, ipsum audies. *Ez. 50.v. 4.* Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est, verbo. *Ez. 61.v. 2.* Spiritus Domini super me, eò quod unxit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertione, ut prædicarem annum placabilem Domino &c. per vocem cœlestem Patris, *Mattb. 17. vers. 5.* hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite. *Ipsem* verò vocat homines discipulos: discite à me *Mattb. 11. vers. 29.* Afferitur nimis Propheticum Christi officium, quòd, ut & cætera non angustis illis quadriennii, ejusque nondum completi, terminis definendum; sed, cùm nobis hodieque viventibus non minus, atque illius temporis hominibus missus fuerit propheta; non potest fieri dubium, quin etiam nos vox illa cœlestis, ac prophetica: *hunc audite*; ad Christum audiendum obstringat.

XL VII.

Cæterum: modus ipsum audiendi vel immediatus est, vel mediatus. Illo fruiti sunt quondam discipuli Salvatoris, ut & alii hinc indè ad ipsum audiendum confluentes, qui vel hoc nomine aliis beatiores prædicantur, *Mattb. 13. v. 17.* beatæ aures vestræ, quia audiunt: *Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & justi cupierunt audire, quæ audistis & non audierunt, eoigitur & nos inferiores illis: non enim Christus immediato actu nobis loquitur, & de regno cœlorum quenquam informat.*

X LIX.

Mediatus verò fundatur partim in generali illo præcepto: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creature;* partim in instructione mandato conjuncta: *docete eos servare omnia,* quæ præcepi vobis, *Mat. 28.v. 20.* partim deniq; in diserta illa Christi

C 3

voce:

voce. *Luc. 10. v. 16.* qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: Namq; sic Apostoli legatione fungebantur nomine Christi, 2. *Cor. 5. v. 20.* à Spiritu veritatis docebantur, suggeste ea, quæ Christus prius docuerat, *Ioh. 14. v. 26.* ut non auderent illi quicquā loqui eorum, quæ non efficeret per eos Christus *Rom. 15. v. 18.* Verè ergo Propheticum officium exercet Salvator noster, & verè hominibus loquitur, verè ab illis auditur, loquens per Apostolos.

X L I X.

Sed neq; sic officio isti finem attulit curriculum prædicationis Apostolicæ; ideo & ipsi præfecerunt Ecclesiis doctores, qui & ipsi alios iisdem præficere jussi sunt, quod in exemplis Pauli Timotheo Ephesinam, Tito Creticas Ecclesias informandas committentis, huic insuper ut oppidatim presbyteros constitutat, injungentis *Tit. 1. v. 5.* Itemq; Petri, qui & ipse gregem Dominicum verbo salutifero pascendum commisit Presbyteris 1. *Pet. 5. v. 2.* manifestum est; hincq; facile colligitur, istum prædicationis mediatae modum tamdiu durare debere, usque dum Dn. J E S U S Ecclesiam sibi his intertis colligere cesserit, hoc est, ad seculi consummationem.

L.

Eum porrò vel vivâ voce exequuntur Ecclesiarum antistites: vel per Scripta: tertium non datur. Illud conciones in publicis Ecclesiæ conventibus institutas simul & privatas, & quasi extraordinarias informationes complectitur, hoc Apostolica & fidorum pastorum scripta directa in simpliciorum salutarem instructionem; ut qui ea eligit (sic tamen ut ad illorum canonem hæcce examinet) Christum docentem audiat.

LI.

Summa: quicunq; Christum doctorem non audit, is Christianus non est: quicunq; verò ipsum audit, is vel immediato ejus affatu fruitur, vel ministris cœlestem doctrinam ore aut scripto profitentibus auscultat.

LI I.

Ad Paracelsi Theologiam ista accommodantibus non apparet, ipsam agnoscere Christum doctorem, quod sic ostenditur, 1. Nequeunt illi homines ire inficias, Christum eo visibili modo, quo tempore sui ministerii factum, in terris obambulante in docere. 2. Neq;

Neque affirmare audent, Dominum JESUM vel in somnis, vel alias sibi apparentem, quidquam docere; namque hoc in scriptis illorum non legitur: Ergo utroque hoc negato, se a Christo immediate non doceri, profitentur. Essentiali immanentia sibi copulatum dictare mysteria ajunt; quamprimum vero ista essentialis conjunctio fuerit improbata, sponte cadit occulta, quam dicunt, informatio, sed illa de re alibi actum ab aliis.

L III.

Mediatum non agnoscunt: Apostolorum vocem vivam non audiunt; scripta negligunt, / cum primis quia docendi certitudinem illis subtrahunt, scribente VVeiglio, gilden Griff / p. 57.
Non sufficit dicere: habuit ille Spiritum S. errare non potuit, hoc queso verum esse prius probes, difficulter probabis ac defendes. *Quis est Cephas? Quis Apollo? quis Paulus?* inquit Apostolus: quis hic aut ille? homines sunt, DEVS, DEVS, DEVS solus est, qui fidem operatur & dat iudicium probandi omnes Spiritus, cunctaque scripta, successores sive prædicantes, sive scribentes despectui habent, audiri que prohibent; uti jam jam docebitur. Ergo neque hoc altero & sic planè nullo modo Paracelsica Theologia Prophetico Christi officio fruitur, sed hoc primo Ecclesiæ doctore, ac sinceræ Theologiae fundatore destituitur.

L IV.

Quare Concludimus: Theologia Paracelsi etiam Christum ratione Prophetici officii docentem non audit, ideoque nec esse patitur activum principium cognitionis Theologicæ: & consequenter veram ac primariam caussam docentem reprobatur.

C A P U T I I I .

De Organica eaq^z ordinaria Theologicæ institutionis caussâ, quam Schola Paracelsi non admittit.

I.

DEUM in docendo humano genere personis mediis ut, oftensum modo: est vero ea organi conditio, ut quicquid caussa primaria per illud operatur, hoc in materiam actioni substratum non fluat, nisi organo materiae isti applicato.

II. Quic-

II.

Quicquid ergo per homines tanquam docentes operatur. DEUS in homines, ut discipulos, illius hi non sunt participes, nisi aliqua fiat utrorumque, docentium, puta, ac dissentientium, conjunctio, quae alia non est nisi *auditus*, praebitus iis, qui ad divinum prescriptum & vocationem alios docent.

III.

Præsunt illi vel institutioni privatæ in domestico regimine, ubi parentes docent suos liberos, Eph. 6. v. 4. 1. Tim. 5. v. 14. vel publicæ, quæ rursum gemina, Scholarum & Ecclesiarum: In Ecclesiis docet pro suggestu verbi minister totū cœtum: Scholæ aut triviales sunt, aut Academicæ, in illis fundamenta pietatis, & bonarum literarum ponuntur, in his juventus, accuratiūs informatur, & verbo prædicando apta redditur: omnes vero si de legitimo ac vero illius usu loquaris, officinæ Spiritus S.

IV.

Legitimum usum dico, quia ut quibuscumque laudabilibus institutis, immo ipsi divino verbo gravis quidam abusus accedit, maximoperè detestandus: ita sunt scholæ, in quibus sub Papatus tenebris Satanam profitentem audierunt procaces quidam ac temerarii: Scholæ sunt, Academiæ, & Ecclesiæ, virus Antichristianum, aliarumque hæresewon juventuti instillantes, è quibus ceu Satanæ scholis Apoc. 3. v. 9. Christus totus exulat; eas igitur omnes Christiani meritò detestantur. V.

Interim tamen non tollat abusus usum, sed discernatur pretiosum à vili, ac probentur Spiritus quicunq;, sive in Ecclesiis sive in Scholis loco ipsis aliquis concessus fit, anne sint ex DEO? quod si ergo salutaria profiteri deprehenduntur, omnino reputandi sunt Spiritus S. organa, à quibus doctrina fidei ac pietatis petenda.

VI.

Vniversim vero has organicas Theologicae institutionis causas reprobat Paracelsi Schola, non saltem ipsas purè, ac directè reprobando, & asserendo, neminem verè ac solide doctum virum à preceptore mortali pronosci, uti Theophrastus disputat. lib. 1. de podagrīcī, Tom. 4. pag. 254. sed etiam per consequentias planas easque complures negando.

VIL Nam

VII.

Nam i. *Divinam vocationem negat*. Omnes, qui Ecclesias docere presumunt, vocatione divina oportet esse instructum, juxta illud: *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. v. 15. Eo igitur extra dubium posito, subsumit Schola Paracelsi: Academiarum, professores, Ecclesiarum concionatores, Scholarum moderatores non sunt à Deo vocati VVeigel. postil. part. I. pag. 44. *Fideles concionatores oportet esse angelos Domini, hoc est, debent esse à D E O docti ac missi, non ab hominibus: qui enim currunt ipsi, nec vocati sunt ad prædicandum, Mercenarij sunt, quales nunc sumus omnes, nullo excepto; quis enim nostrum est à Deo doctus, quis à Deo se vocari patitur?* Annon omnes ex Academia & favore, potestateq; humana constituti sumus? part. 2. postil. p. 31. *Qui ab hominibus sunt electi ac vocati, non adferunt secum Spiritum S. ipsorum concio & absolutio de nihilo est; loquuntur & testantur ut cæcus de coloribus, prædicant dogmata humana, non Christum crucifixum.* Dialog. de Christ. pag. 71. 72. Doctor es, at non à Spiritu S. promotus, sed ab Academiis, ubi nullus unquam repertus fuit Spiritus S. non à Deo vocatus, aut missus, sed ab hominibus ordinatus, electus, constitutus, ideo spiritualia docere non potes. Ejusmodi plora habet idem auctor post. part. I. pag. 222. part. 2. pag. 105. 166. 210. 227. part. 3. pag. II. 60. parata est conclusio. Ergò Schola Paracelsi omnes Dei ministros, ubique per homines instituti inveniantur, rejicit:

VIII.

2. *Personas necessariis qualitatibus instructas negat*. Paracelsitiæ, Ecclesiarum ministros & Scholarum Professores necessariis donis & qualitatibus instructos universaliter negando, ipsum consequenter officium, quod gerunt illi, repudiant. Sunt verò quatuor, quæ maximè postulant. 1. *Esse à D E O doctum*. Cum certum sit, ac evidens, alios docturum oportere prius eruditione necessariâ instructum esse. Syr. 18. vers. 19. &, si quod quis non habet, in alterum transferre nequit, sanè nemo ruditis alios instituet: cumque non humana somnia, sed divina præcepta oporteat docere, utique Θεοδίδαντον esse quemcunque præconem necessarium est, cùm divina non nisi à D E O impenetrantur: qua de causa noluit Salvator noster discipulos rudes in orbem emittere Act. I. v. 4. 6. 2. v. 3.

D

IX.

IX.

Sicverò Weigelius postil. part. i. p. 222. quia nostrum concionatorum potest dicere? ego sum à Deo doctus. part. 3. pag. 6. Ad lucem est, quod nemo teodidant & admittitur, sed omnes ex Academias vocantur. Talia plura part. 2. p. 278. Dialog. de Christ. pag. 32. Guldens griff. pag. 73. hinc omnes Theologiam professi nec non Scholas, & Ecclesias sestantes ipsis sunt, Weltgelehrte Weig. lib. disp. pag. 32.

X.

2. Pollere spiritu Prophetico; omnem Prophetarum (sic & Apostolorum) interpretem, & quemcunq; commentatorem librorum Prophetorum, & Apostolicorum oportet tantum esse illuminatum & doctum, quia scriptores, quorum textus declarare & exponere conatur; Weigelii est axioma, libel. disp. p. 45. Ut salvator manifestetur, fieri oportet per eos, qui spiritum habent propheticum, qui Christum vident ac norunt & digitis monstrant; idem ait postil. part. i. p. 19. promta est subsumtio: cum nemini eorum qui publicè docent, tanta illuminatione, quanta Propheticis ac Apostolis contingit, nemo spiritu propheticum jactare possit, neminem etiam fore omnium per orbem Christianum docendi munere fungentium, qui Christum prædicet, & Scripta Sacra interpretetur.

XI.

3. Peccatus non polluit causa concionatorum non frugiferarum ubiq; hæc est, quod nemo nostrum concionatorum, aut pauci admodum, dicere possunt, quis arguet me de peccato? judicat Weigel. postil. part. i. pag. 221. quod si verum, non erit unus ex omni mortali genere, qui cum fructu Theologiam doceat.

XII.

4. Literis non esse imbutum. Weigel. postil. part. 3. p. 4. quod Christus non utitur potentibus, neq; ex Synagogâ doctis, nec divitibus, sed pauperibus, indoctis, contemptis, manuariis opificibus, piscatoribus, causa est; quia aptos ac idoneos voluit habere concionatores & Apostolos: potentes, divites docti ad hoc fuissent ineptissimi, & inutiles ad prædicandum Evangelium; quos si ascivisset, idem egisset, ac si diabolo concionem crucis commendasset.

XIII.

3. Officinas illorum vitandas monet; quæ duplices: templo & angoatnæ: Templo visitanda quidem monent, at, non sine alio, quam

quam ceteris in exemplum postul, part. I. pag. 124. alias vero easdem scopticè perstringunt, quando per contemptum passim vocant **Maur Kirchen/Stein Kirchen: Menschen Kirchen; Steinhaussen:** & Ecclesiis insultant, quod homines ad ea alligent, seipso templorum visitatione & concionum auditu torqueant. Weig. post. part. 2. pag. 329. Ecclesiam ac tempora sic opponunt, ut qui haec visitat, ab illa exeat. Item Synagogam Veteris, & Ecclesiam Novi Testamenti in hoc opponi afferunt, quod illic fuerint tempora murata Weig. post. part. I. p. 5. II. 161. part. 2. pag. 329.

XIV.

Academias, harumque acroateria vehementer execrantur: illas enim censent hostes Christi, in quarum nulla, quotquot Romanum Imperium, immo totus mundus habet, Christus inveniatur, Spiritus Sanctus reperiatur, in omnibus vero, quid fides, quid vita Christi, nesciatur, veritas opprimatur, Spiritus Sanctus extinguitur, Christus doceri prohibeatur: ideo qui illis praesunt, cæcitate sunt percussi divinitus & tantum de CHRSITO ejusque Evangelio sciunt, quantum Judæi. Hæc Weig. post. part. I. pag. 93. 96. 195. part. 3. pag. 9. 40. 98. dialog. de Christ. pag. 29. 7. 1. ex Theophrasti lib. 2. de peste, trast. 3. tom. 3. p. 185. lib. 1. de invent. artium to. 4. p. 256. lib. 2. de morbis podagr. to. 4. p. 313. Paragr. 4. de caduc. tom. 4. p. 361. tom. 5. pag. 164. 178. perstringentis Academias quantumvis potissimum habito respectu ad Facultatem Medicam.

XV.

4. Officii administrationem improbat. Non valent quicunque doctores interno quodam motu hominum corda informare, sed quicquid hujus operantur, id per medios sensus, qui ceu canales forinsecus percepta ad internam mentem deferunt, fieri oportet: indè processus institutionis Theologicæ à Deo, ac Salvatore nostro monstratus fit iste: Verbum de Deo, ejusque voluntate circa humanum genus per Christum restaurandum vel ore prædicatur, vel in scriptis legentibus exhibetur, quam Evangelicam vocem mediante sive visu sive auditu cor percipit, coque ceu divina potentia movetur, & convertitur,

D 2

quibus

.XXX.

quib⁹ accedunt in Academiis exercitia disputatoria, ad serios cum
adversariis conflictus juventutem præparantia.

XVI.

Displicet processus iste Scholæ Paracelsistarum, ideoq; rejiciūt z. *conclaves*, eò quod censem, non prædicari Christum ab extra (id namq; Weigelius inter veri doctoris requisita numerat, ut Christum ab extra non prædicet postil. part. i. p. 18.) nec regnum cœlestē, & illius dona impetrari credit per auditum dictorum post. part. z. p. 85. imò, in maledictis pestilentiae cathedris nil cernit præter Pharisaicas persuasiones, quæ majoris æstimatur quam Deus, cum omnib⁹ suis electis, quibus naturæ arcana revelat. *Theophr. de pestil. tract. z. tom. 3. pag. 74.* ideo non improbandos judicant, qui *conclaves* visitare negligunt: postil. part. i. p. 124.

XVII.

Rejiciunt z. *lectionem librorum* sive illi biblici sint, de quibus jam dictum; sive ab Ecclesiarum & Scholarum Antistitibus in discipulorū informationem & επεροδόξων confutationē scriptiorū: his n. insultant mirificè, non sine gravissimis mendaciis ac convictionis; vocantes humanas interpretationes: *Menschliche Aufflegung/Menschen Bücher*, à quorum autoritate sit pendendum, quorum ad nutum & placitum quævis credere oporteat; cum contrà discendum non sit ex literā aut libris, fides salvifica non petenda ex papyro, futura aliás fides papyracea. Summa: Pseudotheologus Antichristus fidem suam in papyro & ore gerit, ait Weig. postil. part. i. p. 96. part. 3. p. 18. 76. γνῶθι σταύλ. part. i. p. 6. Idem sentit *Theophrastus labyrintho Medic. tom. 2. p. 174.*

XVIII.

Pari numero habent 3. *disputationum exercitia*, quæ & investigandæ veritatis insignia sunt adminicula & utilia ωργυμασμata, quibus ad conflictus serios præparantur discentes. Namq; Weigelius in requisitis discipuli & hoc habet, ut ab omni argumentatione ac disputatione in universum abstineat; siquidem disputando veritas non apprehendatur: studium verò Theologicum impediatur, & ineptissimus fiat quisque ad acquirendam scientiam Theologicam. *Libell. diff. p. 1. 3. 5. 39.*

XIX.

XIX.

3. Officio etiam dextre administrato efficaciam & operationem omnem adimit. Inde hæc ipsorum Emblemata: Externa non salvant: conciones, verbum fidemque cordi non immittunt, sed in corde latentia saltem excitant; nec succus, nec virtus illis inest, sed nuda historia de Christo, Spiritum S. menti non infundunt: omnes conciones frustraneæ sunt, & ociosæ, nisi internus concionator accedat, ab intra enim universa venire necessum est. Cuncta verò operatur Spiritus Sancti absque verbo externo, nec per externa media: conciones sunt balatus exterior, aures replens, omnes scribæ sperant fidem legendo vel audiendo intra se recipere; qui conatus non succedit, ex auditu nemo fit Christianus solidus & constans, **Von hören sagen wird kein Selsman**/scriptura neminem salvat; qui docentur ab hominibus, Christum ignorant; salutis impedimenta sunt auditus concionum, visitatio templi, baptismi susceptio, &c. Certè qui se patitur allici ad auditum concionum, visitationem templorum, &c. non potest intra se (ad nuptias regias) converti. Hæc Weigel. postil. part. 1. pag. 32. 142. 161. part. 2. pag. 56. 207. 227. 230. 238. 307. 308. 316. part. 3. pag. 13. Dial. de Christ. pag. 27. 28. 31. 33. Theophr. lib. de caduco parag. 3. tom. 3. pag. 347.

XX.

Omnia verò ea testantur, ministerium Ecclesiasticum non tantum secundum aliquem abusum, sed juxta se improbari: unde plana est conclusio: *Paracelsista veras causas efficientes-organicas institutionis Theologicae reprobant.*

C A P U T . IV.

Falsa Principia quibus Theologia Paracelsi nititur.

I.

NE societas Theophrasti è suo ingenio aut mali cuiusdam Spiritus suggestione suam Theologiam hausisse videatur,

D 3

fun-

fundamenta profitetur ab iis, quæ cognovit hactenus Ecclesia;
non parum diversa, at quam divina, videndum.

II.

Inveniuntur autem ea duū generum: quædam sunt pri-
maria, quædam secundaria. Illa dicimus 1. verbum internum & homi-
ni connatum 2. divinam revelationem 3. Angelorum colloquia. 4. Philo-
phi. im cœlestem, quæ veritatem divinam venatur ex 1. Cabala, 2. A-
strologia. 3. Chymia. 4. Numeri mystici.

III.

Primum igitur locum sortitur VERBUM INTERNUM,
seu NATURALE LUMEN: omnia sine discrimine in-
se continens, de quo ita sentiunt novi Prophetæ.

IV.

Est quoddam verbum homini implantatum Weigel. postil.
part. 1. pag. 160. idque in nostro corde ac ore part. 2. pag. 129. in si-
lentio & oblivione sui, omniumque rerum conspicuntur in-
terno oculo cœlestia bona in Christo postil. part. 1. pag. 49. idem,
internus oculus commendatur postil. part. 1. pag. 53. In unoquo-
vis est lux connata, è qua omnis fluit notitia, estque in nobis o-
mnibus: in hac luce qui ambulat, non cadit, arctæ & angustæ
via insistens ad vitam tendit, qui autem illi adversatur, & lu-
cem istam recusat, sed doctrinas hominum sectatur, inambulat
via latæ ad suum interitum, namque oportet ipsum credere,
quicquid dicunt alii, perinde, ac si oculos meos mihi effodi-
paterer, & aliorum oculis uterer. Errare non possemus, nec
mala facere, si juxta lucem connatam ambularemus, declinare-
mus etenim à via lata hominum, & per angustam progredere-
mur ad vitam æternam: Sequeremur Mosen & omnes Proph-
etas; namque lumen, quod in nobis, idem docet, quod lex & Pro-
phetæ: qui hanc lucem connatam sequitur, manet in lege
DEI & in omni doctrina Prophetarum postil. part 2. pag. 184. Ad
hanc lucem nos remittit Christus, inquiens: cavete vobis à Pseu-
doprophetis part. 2. pag. 185. quia scriptura anceps est, & à quovis
falsa sentiente adhiberi potest, concluditur, opus nobis esse in-
ter-

terno testimonio. pag. 186. **Gülden griff** cap. I. pag. 8. Ex astris est
hominis *Spiritus*, è quo Adam omnes suas artes, opificia, linguas, omnemq[ue]
animalem sapientiam hausit, nam quicquid est in firmamento, idem est in
homine: habet præterea homo æternam animam per inspirationem à
Deo, una cum spiritu sancto, ideo latet quoque in illo æterna, ac cœlestis
sapientia, inde concluditur, omnem rerum divinarum notitiam non ex libris
desumi, sed ex homine ipso promanare. Istiusmodi luminis-naturæ
commendationes videre licet apud *Theophrastum*, præfat. in lib.
de caus. morb. invisib. tom. I. p. 239. 240. item 317. 339. tom. 3. lib. 2. de peste,
pag. 184. tom. 4. parag. 3. de caduc. pag. 346. sq. & alibi sæpius. Atque
hoc lumen est & dicitur *Cabala*, vel rectius, *Gabala*, à Gabalis Spiriti-
tu sydereo, quem fingunt inesse homini, ex quo cognoscat o-
mnia, etiam futura unde vaticinari doceat; ut quidem prolixius
dixerunt *Theophrast.* tom. 5. pag. 158. sq. *Weigelius* lib. I. *Wōđi* cap. 3. pag. II. 12.

V.

Summa est: in unoquoque homine est aliqua lux naturæ congenita,
è qua omnis omnium rerum notitia fluit, estq[ue] oculus quidam mentis in-
terior conspiciens intra se omnia cœlestia bona, quem dum sequimur, ma-
nemus in lege D E I, doctrinâ Prophetarum, ambulamus in luce, errare non
possimus, declinamus seductionem Pseudoprophetarum, quos hoc medio
agnoscimus, verum scripturæ sensum deprehendimus, & tandem per viam an-
gustum ad æternam vitam progredimur. Falsitatis hoc principium
arguimus:

VI.

1. *Quia istiusmodi naturæ lumen non probatur.* Quicquid fun-
damento solido non nititur id i. conscientiam tranquillam non
redit. 2. contra impetus temptationum non consistit. 3. ad-
versariorum conatus non reprimit. 4. ideo pari facilitate, eo-
demque jure rejicitur, quo adstructum fuit. Tale
est naturæ lumen. Duo sunt quæ suspicionem hic in-
currunt gravissimam: Unum: quod sit ejusmodi uni-
versal-

versalis rerum omnium, & sic etiam Theologicarum, notitia, in natura humana: alterum quod ea naturali notitia sit doctrinae salutiferæ universalis norma: namque ignoramus nos, ubi, quando, per quem, aut quomodo nobis innotuerit, quod sit hujusmodi lumen naturæ implantatum: nescimus, tale lumen esse normam æternæ salutis nostræ, utrumque ergo probari indiget: Utrumque affirmant Paracelsistæ, at, si affirmationum fundamenta requiras, de priore audies nihil; posterius hoc robore nititur: *Omnis notitia venit ab intra, nulla è libro sive obiecto, ergo & Theologica, qua in Bibliorum codice ineptè quæritur, rectè autem in mente humana, Weigel.lib. diss. pag. 12. 17. &c.*
Gulden griff cap. 11. 12. 13. 17. 18. Verum, quam turpiter sic petatur principium, & quam periculosè fides imponatur arenæ *Matth. 7. vers. 26.* & fundamento nusquam radicato, quibusvis piis probè expendendum relinquitur.

VII.

2. *Quia natura humana, qualis est per seipsum absque speciali divina illustratione, nihil habet lucis, sed meras tenebras.* De rebus spiritualibus est sermio, ratione quarum in mente est pura & absoluta ignorantia. Et si enim generalis quædam essentiæ divinæ notitia non desit, *Roman. 1. vers. 19. cap. 2. v. 14,* attamen Christianæ fidei mysteria eam omnino latent. Hinc ille Propheticæ & Apostolicæ voces. *Esa. 55. vers. 8. 9.* non cogitationes meæ, cogitationes vestræ, nec viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus: quia sicut exaltantur cœli à terrâ, sic exaltatæ sunt viæ meæ, à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. *Ephes. 4. vers. 17. 18.* Hoc testificor & dico, in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. *1. Cor. 2. v. 6. q.* Sapientiam loquimur non hujus seculi, sed loquimur DEI sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit DEUS ante secula in gloriam nostram, quam nemmo principum hujus seculi cognovit: Si enim cognovissent,

Domi-

Dominum gloriæ non crucifixissent &c. v. 10: Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus; sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ donata sunt nobis v. 16. quis cognovit sensum Domini? Argumentamur: ubi cunque est i. vanitas sensus. 2. intellectus tenebris obscuratus. 3. per ignorantiam à Deo alienatus. 4. cordis cœcitas, 5. ignorantia viarum Dei, 6. ignorantia sapientiæ Dei in mysterio absconditæ. 7. defectus spiritus Dei, per quem sciuntur quæ Christianis sunt donata, illic tantum lumen non est, per quod conspiciantur omnia bona cœlestia, doctrina legis & Prophetarum cognoscatur, & via ad vitam æternam inveniatur. Talis verò est natura hominis, secundum verbum connatum, & extra revelationem considerati: Ergò in illo tantum lumen non conspicitur.

VIII.

3. *Quia mysteria fidei hominem naturaliter latent.* Est hoc partim ex modò dictis manifestum, partim cognoscitur ex pronunciatis, Christi; Matth. ii. v. 27. & Luc. x. v. 22. Nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit, nisi filius, & cui voluerit filius revelare: aliorumq; sanctorum, Esa. 9. v. 2. populus qui ambulabat in tenebris, vidi lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est (quam sententiam Evangelista Matthæus ad revelationem Evangelii per Christum factam refert cap. 4. v. 15. sq.) Luc. i. v. 79, visitavit nos oriens ex alto illuminare iis, qui in tenebris & umbra mortis sedent. Matth. 16. v. 16. 17. Petro confessionem hanc de Christo edenti: tu es Christus filius Dei vivi, respondet Dominus: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui cœlis est. Johan. 17. v. 6. sq. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo; nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognoverunt verè, quia à te exivi &c. v. 25. 26. pater juste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi, & hi cognoverunt, quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum &c. Joh. i. v. 18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit. Actor. 17. v. 23. quod ignorantes colitis, annuncio vobis. Rom. 16. v. 25. 26. qui po-

E

tens

tens est vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicatio-
nem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii, temporibus
æternis taciti: quod nunc patefactum est per scripturas Prophe-
tarum secundum præceptum æterni Dei, &c. *Coloss. i. v. 26.* My-
sterium, quod absconditum fuit à seculis, & generationibus,
nunc autem manifestatum est sanctis ejus. *Tit. i. v. 2. 3.* spem vi-
tæ æternæ promisit Deus ante tempora secularia, manifestavit
autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ cre-
dita est mihi secundum præceptum salvatoris nostri Dei. *Argu-
mentamur:* quicquid 1. caro & sanguis non revelat, 2. omnis,
homo nescit, 3. tanquam sedens in tenebris & umbra mortis,
4. tanquam mysterium à seculis & generationibus abscondi-
tum, imò æternis temporibus tacitum, 5. & cognoscitur non
nisi revelate patre cœlesti & enarrante filio, 6. per scripturas, per
ministerium verbi, & prædicationem Apostolis creditam, hoc
non potest ex naturali quodam verbo ac lumine cuiquam in-
notescere. Sed salutaris Dei, & ad salutem necessaria doctrina
ita se habet, Illa ergò per naturale lumen nemini innotescit.

IX.

4. *Quia homo in puris naturalibus consideratus doctrinæ Chri-
stianæ repugnat.* Non potest idem esse principium ἀνθρώπῳ;
quare ut naturæ humanæ divinitus est implantatum, quod sit
Deus colendus, sic illi nequit esse inditum, quod Deus non sit
colendus: ex quo fundamento certum fit, doctrinam cœlestem
& salutiferam homini naturaliter implantatam non esse, si ean-
dem ipsi adversam & inimicam esse probatum fuerit. Id verò
potest constare ex illo Apostolico: *Rom. 8. v. 5. 6. 7.* qui secundum
carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt, qui verò secundum spiri-
tum sunt, quæ spiritus sunt, sentiunt: nam prudentia carnis
mors est; prudentia autem spiritus vita & pax: quoniam sa-
pientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non subjicitur,
nec enim potest 1. *Cor. 2. v. 14.* Animalis homo non percipit ea,
quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi & non potest intel-
ligere. *Argumentamur:* quicquid opponitur naturæ homi-
num,

num, 1. ratione sui consilii & sapientiae, 2. ratione contrarium effectuum, 3. ut imperceptibile, 4. ut stultum, 5. ut inimicum, hoc non potest esse naturale hominis principium, lumen congenitum, & sapientiae illius nativae pars quædam. Talis verò est doctrina Theologica seu salutaris, Ergò hæc non est naturale hominis principium, &c.

X.

Nec est quod quis excipiat; repugnantiam esse saltem ex parte, secundum corruptionem, non item juxta naturalem & superstititem adhuc bonitatem. Nam principia bona ac vera in naturâ residua non extenduntur ad apprehensionem mysteriorum regni cœlestis, quod evicerunt antecedentia: hactenus igitur natura non quidem repugnat doctrinæ fidei, eam tamen ignorat: ex corruptione verò illam non haurit, ideoq; necessariò impugnat.

XI.

5. Quia nullo tempore Ecclesia sive Veteris sive Novi Testamenti hoc principium attendit, neminem eò remisit, semper autem quosvis pios hinc avocavit. Primum illud committimus adversariis, si volunt, probandum. Postremum varia documenta confirmant, Deut. 4. v. 2. cap. 12. v. 8. 32. non quod tibi rectum videtur facies, nec addes verbo, &c. 2. Cor. 10. v. 5. in captivitatem redigimus omnem intellectum in obsequium Christi; exemplo Abrahæ, qui omnium credentium pater factus est, quia credidit, non quod jam naturæ erat congruum, & factu facile, sed quod in humanis quidem cogitationibus omni spe carebat; pro ut scriptum est: *præter spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium;* & non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum jam emortuum, cùm ferè centum esset annorum & emortuam vulvam Saræ, &c. Rom. 4. v. 18. liberius verò judicium suæ rationi cōcedentes miserè sunt decepti. Naaman Syrus auditio præcepto Elisei, vade & lavare septies in Jordane, & recipies sanitatē tuā 2. Reg. 5. v. 10. excandescit, & recedens servis suis ait, nunquid non melio-

res sunt Abana &c. omnibus aquis Israel, ut laver in eis, & mun-
der, v. 12. verum à servis monitus, & à suo interno lumine ac di-
ctamine cedens, mundatus est v. 13. 14. Dux ille *Samaritanus* Eli-
sæ, frumenti abundantiam sequente die futuram prædicenti, fi-
dem adhibere non poterat ex naturali lumine judicans & Pro-
phetæ responsans: si Dominus fecerit etiam catarractas in cœlo,
nunquid poterit esse, quod loqueris? 2. Reg. 7. v. 1. 2. Petrus Apo-
stolus eadem naturæ luce ductus credere nequibat; mundi salva-
torem occisum iri Matth. 16. v. 22. totus *Apostolorum cætus* non
capiebat, quomodo Messias possit flagellari, conspici, occidi,
hoc enim cum significaret ipsis Dominus, nihil tamen omnium
intellexerunt, & erat verbum illud absconditum ab eis, & non
intelligebant quæ dicebantur. Luc. 18. v. 32. sq. Nicodemus verbis
Christi, nisi quis renatus fuerit de novo, non potest videre re-
gnum Dei, tanquam rem impossibilem commendantibus cal-
culum addere recusabat, inquiens: quomodo potest homo na-
sci, cum sit senex? nunquid potest in ventrem matris suæ itera-
tò introire, & renasci? Joh. 3. v. 3. 4. Capernaitæ impossibilem ju-
dicabant carnis Christi manducationem, & sanguinis bibitio-
nem, ideo dicunt invicem: quomodo potest hic nobis carnem
suam dare ad manducandum. Joh. 6. v. 52. item: durus est hic ser-
mo, & quis potest eum audire? v. 60. Thómas Apostolus resurrectio-
nem Christi, ut luci naturali adversam, negabat fortiter Joh. 20.
v. 25. Quæ omnia ideo sunt consignata, nobisq; proposita, ut di-
scamus in rebus fidem ac salutem concernentibus, nihil tribue-
re nostro judicio, & naturæ lumini, sed ab hoc, utpote fallacissi-
mo recedere & in Domini nostri verbis, et si stulta videantur,
plenè acquiescere. Quod si ad *historias Ecclesiasticas* expatieris,
exempla quidem invenies non rara perluminis nativi judicia
deceptorum, nulla vero sanctorum divinam veritatem in natu-
ra quærentium, aut eò quenquam remittentium. Jam vero ne-
gari nequit, Ecclesiam veris fundamētis fidei superstructam, ea,
quænam sint, cognovisse, suosq; filios eòdem fideliter remisif-
fe: Unde hæc *argumentatio*: Genuina Theologiæ principia Ec-
clesia semper ut talia agnovit, illa usurpavit, & discentes ad ea
remisit. Sed naturale lumen nunquam, ut principium agnovit
Eccle-

Ecclesia , nunquam usurpavit , nec ullum discentem illi adstri-
ctum voluit . Ergò lumen illud naturæ non est genuinum Theo-
logie principium . Sufficiant ista pro explodendo primo Theo-
logicæ institutionis principio à Paracelsistis conficto .

XII.

Secundum : DIVINA REVELATIO : de qua sic
Theophrastus cum sociis . Audienda unctio , & testimonium
Spiritus sancti . *Weig. Postil. part. 1. pag. 161.* Concionatores & scri-
pturæ interpres , qui manent in voce , hoc est , verbum Dei in-
tra se ipsos audiunt , errare non possunt . *p. 231.* testimonium Jesu
habent ac sentiunt intra se . *part. 2. post. p. 43:* Certum est , oportet
nos doceri à Spiritu Sancto , ab unctione , alias irrita cadunt ,
quæcunque foris docentur aut scribuntur , oportet nos omnes
esse à Deo doctos , ab intra scaturire oportet notitiam in obje-
ctum , non è libro intrò manare . *post. part. 2. p. 61.* Item *pag. 61. 62.*
Christus vult Spiritum sanctum dare , non solis discipulis , sed
cunctis credentibus , omnes donati sumus hoc spiritu , hac un-
ctione , modò introrsum conversi ab eo discamus . Ita cum Da-
vide doctiores evademus omnibus doctoribus nostris , qui mul-
tum ipse auscultat , multa ex eo discit : unius horæ spatio Spir-
itus ille hominem rusticum promovet doctorem , docet linguas ,
clarificat Christum , dat cognoscere causas incarnationis ipsius ,
mortis , descensus ad inferos , ascensus in cœlos , & de omnibus
articulis docet homines citra errorem ; si modò ipsum admit-
teremus , & locum concedentes , ac intra nos conversi Deum in
nobis audiremus , in lucem eximiam perveniremus , nec posse-
mus ab ullo homine seduci . *Item:* Ex Dei spiritu plura intra me-
met ipsum disco , quām omnes libri , omnesque conciones doce-
re valent adusque novissimum diem : *Dial. de Christ. p. 24.* Spir-
itus perfectorum totus inseritur Deitati , & illi in momento illu-
strantur à Deo *p. 64.* Credere non est operari , nec laborare , tan-
tum verbo se captum profiteri , ad pedes Jesu Christi procumbe-
re , ejusque revelationem in nobis expectare , ita seminati sumus
in fertilem agrum , crescimus quotidiè ac proficimur in omni
notitia *p. 315.* Christus nos facit sacerdotes , ut in ipso habeamus

omnia, templum, sacrificium, sacerdotem, nos ipsi omnia esse possumus in Christo summo pontifice, omnia peraguntur in corde occulte, ut nemini hominum spirituum, diabolorum scientia detur, quid cum Deo agamus, per hoc regatur sacerdotium, Postil. part. 3. p. 34. Ejusmodi habet plura Dialog. de Christ. p. 8. 53. 59. Postil. part. 1. p. 7. 49. 66. 67. 153. 224. 228. 229. part. 2. p. 6. 24. 35. 86. 87. 89. 104. 131. 223. Sed neque hoc verum ac genuinum principium agnoscimus: non absolute revelationem reprobantes, nam ea Prophetis quondam frequens contigit, sed duntaxat pro hodierno Ecclesiæ statu. Quicquid ergo de immediata Dei inspiratione dicetur, id totum de aliis, quam temporibus Christi in coelos ascensum subsecutis, in specie autem his postremis intellectum nolumus: Rationes vero nostræ haec sunt.

XIII.

I. *Quia nusquam talis inspiratio, aut afflatus divinus promittitur, nec usquam ceu theologicæ institutionis principium commendatur.* In dubio versari non credimus, quod omne fidei & scientiae theologicæ principium à Deo ut datum, sic etiam promissum & commendatum fuerit: ideo, si eversam hanc rationem cupiunt adversarii, ipsimet sua fundamenta producant, atque quod affirmant demonstrent; nos enim ejus rei documentum planè ignoramus.

XIV.

Producunt vero geminum scripturæ locum: Unum: *Jerem. 31. v. 31. sq. Ecce, dies venient, dicit Dominus: Et feriam domui Israël & domui Iuda fædus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die, cum apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam;* & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens: cognosce Dominum. Omnes enim cognoscet me à minimo eorum usq; ad maximum, ait Dominus.

XV. Respon-

XV.

Respondeatur. Non facit ad institutum: siquidem de Evangelii promulgatione loquitur, de inspirationibus verbum nullum, quod probant: 1. *vaticinij impletio.* Nam si unumquodvis vaticinium ex suo complemento quam rectissime judicatur, sic argumentari licet: quam scriptionem vaticinii impletio exhibet, eandem promisit vaticinium. Sed illa nullam monstrat pacti divini in corda scriptionem, quae per immediatas revelationes sit facta, solam vero quae per prædicationem Apostolicam contigit, interprete *Epiſt. Heb. 8. v. 6. sq.* & necessario fatis tibus adversariis, quod Evangelium sit alterum illud pactum legi oppositum. Ergo eadem in vaticinio promittitur, minime vero occulta Dei suggestio. 2. *avt̄iθ̄σις fæderum Veteris & Novi;* eaque talis: *pactum vetus non poterat servari, novum autem cordibus inscribebatur;* non sunt hi termini oppositi, si de modo scriptionis sit sermo: 1. quia potest aliquid cordi inscribi, hoc est, revelari, quod tamen sit impossibile servatu. 2. quia non solum Evangelium inscribitur cordibus, verum & lex, *Rom. 2. v. 14.* gentes ostendunt legem scriptam in cordibus suis. Lex moralis ipsa Dei voce sine medio Israëlitis lata legitur. *Exod. 20. v. 2. sq.* Ceremonialis & forensis per singularem revelationem innotuere Mosi, (& per hunc Israëli) partim cum in monte commoraretur, partim, quando ad ipsum locutus fuit Dominus: deinde Prophetis, qui & ipsi conciones legales quam plurimas per cœlestem inspirationem acceperunt. Hactenus igitur *avt̄iθ̄σις* nulla. Ut vero locus sit oppositioni, sensus ita reddendus. Lex fuit scripta in tabulis, nec ad corda penetrare potuit, illi enim capienda corda peccatis repleta nimium erant angusta; ideo pactum ejus factum est irritum; Evangelium autem corda penetrat, ab iisq; potest capi; qua de causa cordibus inscriptum, ab iisq; receptum asseritur. 3. *Uſus phrasew̄s: scribi in corda,* In corda scribere nusquam significat inspirationem, sed generaliter doctrinam, sive illa fiat per naturam *Rom. 2. v. 14.* ostendunt gentes opus legis scriptum in cordibus suis: sive per institutionem: de suæ enim prædicationis fructu scribens Paulus, haec inter alia verba annotat. 2. *Corinth. 3. v. 2. 3. Epistola nostra vos estis, scripta*

scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus: manifestati, quod epistola estis Christi ministrata à nobis & scripta, non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, itemq; attētam doctrinæ receptionem: Proverb. 3. v. 3. misericordia & veritas te non deserant, circundaens gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, cap. 7. v. 3. serva mandata mea, & vives, & legem meam, quasi pupillam oculi tui, ligaeam in digitis tuis, & scribe illam in tabulis cordis tui: quem phraseo usum si sequi placuerit, jam tale pactum promitti deprehendes, quod cor ipsum subeat, inque illud penitus recipiatur, sive hoc fiat per inspirationem, sive per humanæ vocis ministerium.

XVI.

Quibus ita stantibus facile expeditur, quod idem textus habet v. 34. non docebit vir ultra proximum suum: si verum hoc de prædicatione Evangelicâ, utique ministerium vocis non tollit, quomodo enim docuissent Christus, Apostoli, Barnabas, Timotheus, Titus, Apollo, aliiq; alios? quomodo hi ulterius Ecclesiis præfecissent presbyteros? &c. quomodo promissi fuissent doctores, pastores, &c. usque ad seculi consummationem Ecclesiæ docturi? Eph. 4. v. 11. 12. Non ergo per hoc vaticinium evertitur externa prædicatio; notatur verò 1. perfectior Dei notitia, tempore novi fœderis futura, atque fuit sub antiquo: sic enim non saltem alii Prophetæ Es. 30. v. 26. sed etiam hic ipse Jeremias interpretatur cap. 24. v. 7. ipsum hunc textum verbis paululum mutatis sic efferens: dabo eis cor, ut sciant me, quia ego sum Dominus; & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me in corde suo. 2. Evangeliæ per totum orbem prædicatio: Vetus illud legale pactum cognoverant soli Judæi, Psalm. 147. v. 19. 20. Rom. 9. v. 4. ideo gentiles illud cognituri habebant opus discedere à Judæis: non sic in Novo: prædicandum erat fœdus gratiæ non solis Judæis, sed & gentibus; iisq; non solis Europæis, sed & Africanis, Asiaticis, &c. Ut Corinthii non indigerent doceri ab Ephesiis, non Crætenses à Romanis, &c. nam & hi, & illi cognoscere debuerunt Deum: idq; habet instructio Apostolorum:

docete

Datum der Entleihung bitte hier

Dieser Band wurde 2007
durch Bestrahlung
sterilisiert. Verfärbungen
stellen keine Gefahr dar.

SLUB DRESDEN



3 0949531

